

ILLVSTRISSIMO VIRO DOMINO D.

SERAPHINO DE MAVROY,

DOMINO DE SAINCT OVYN,

CHRISTIANISSIMO REGI A SANCTIORIBVS ET SECRETIORIBVS CONSILIIS,

EIVSQVE ÆRARII PRÆFECTO

ΑΦΘΑΡΞΙΑΝ.

NESCIO *quo pacto res humanæ ita plerumque disponuntur, vt qui multis magnísque nominibus magnifico viro sunt deuincti, cùm deberent ei gratiam reponere, vel cogitare quomodo se nexu exsoluerent, in nouas denuò beneficij compedes incidere cogantur. Idem mihi contigisse sentio. Quantos beneficiorum montes à promissis ad fidem translatos in me congesseris*, Vir Perillustris, *palam testari iuuat, & tubâ canere non desisto: vnione iam signaui primam hanc è Pharetra lucem, veræ natalem fortunæ meæ, quâ familiari consortio multis abhinc annis adhibitum fouere perseueras: adeò vt cum Poëta libeat exclamare*, Steriles transmisimus annos, Hæc æui mihi prima dies, hæc limina vitæ. *Cùm iam mearum esset partium meditari, quanam ratione, tanto impar oneri ferendo me subducens, gratum animum significarem: ecce noua mihi nascitur occasio iteratum munus à te postulandi, scilicet vt in negotio, quod grauissimum momentum importat, adesse non grauêris. Ingruit mihi bellum foris periculosæ aleæ plenum, quod quidem priuatis congreßionibus dudum sustinui, sed quia reperiuntur* οἴκοι λέοντες, ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες, *qui ad famam de hostium aduentu perterriti*, (nam plures nuntiat hostes, maioresque timor,) *sub causarii morbi prætextu fugam adornant; vnde bello gratiam dixit referendam Synesius, vt sanguinis, qui in corde existit, & animi veluti Lydius quidam lapis sit: non pudet fateri me tuis armis tuáque præsentiâ sic indigere, vt in ære atque in cute libenter adesse patiaris. Nam dum cernere licebit insigne Stemma*, Leonem cruci incubantem, *optimo iure tibi inscriptum, propter generosam animi magnitudinem, quâ difficultates laboriosè vincens, inde gloriosum tibi trophæon erexisti, ardua regni negotia, Regis & ærarium inuictâ integritate procurans: impenetrabili vmbone omnes aduersariorum insultus pariter eludam, propulsabo impetus, ictus indemnis auertam. Si eam quam præcipio spem sors non refutet, tota in te gloria redibit, & hoc mihi vetabo accommodari prouerbium*, Serra gloriatur contra trahentem. *Nam si malos disputationum cuneos secuero, labori tuo laus debebitur, & subsidiariis auxiliis, qui, cùm plurima suppeditaueris, plura* μεγαλόδωρος *expectare me iubeas. Superest vt, cùm pollicitus sis non breuem aut suffragatoriam, sed amicitiam perpetuam, nulla me tuorum, quod spondeo, in me meritorum obliuia contaminent: omni loco tuus pectori vultus hærebit*,

Méque ab amore tuo deducet nulla senectus,
Siue ego Tithonus, siue ego Nestor ero.

QVÆSTIO MEDICA,
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXII. NOVEMBRIS.
M· IACOBO DV VAL, Doctore Medico, Præside.

Est-ne Medicus Philosophus ἰσόθεος? 960.

DEVS est quo nihil superius τὸ ἀΐδιον, ἀσώματόν τε καὶ ἀπερίγραφον, ipse ἑνιαῖος, αὐτάρκης omnium rerum parens & author. Ex his quæ creauit ad ipsum accedunt propiùs τὰ ἄϋλα, νοερὰ καὶ οὐράνια, vt Angeli πλησιόθεοι, & ab illis τὰ τελειότερα καὶ λογοειδέστερα, vt homo θεοειδής. Nascitur hic ratione exornatus, sed mutâ ac penè brutâ, donec excoquatur & splendescat artium, philosophiæ maximè culturâ; vt huius studium omni hominum generi proficuum & salutare, sic medico necessarium adeo & honorarium, vt illius præsidio destitutus ἀνίατρος, eius famulitio cinctus inter Asclepiadas ἰσόθεος habeatur. Is immane quantum inferior Deo, habet tamen quo se illi similem vtcumque probet, & eum κατὰ τὰς καλὰς πράξεις imitetur. Humanæ valetudinis custodia vt diuini numinis beneficium existit; sic officium est Philosophi, medicina vtentis. Eò se cogitationes eius flectunt & momenta artis beneficentissimæ, quæ ordine omnia, hoc est, ἀριθμῷ, σταθμῷ καὶ μέτρῳ administrat. Et præteritarum rerum custos est fidelissimus, & præsentium sapientissimus obseruator, & futurarum vates sagacissimus. Ab ipso generationis exordio ad exitum vitæ vltimum id illi curæ est, vt homo quàm felicissimè ac sanctissimè sanam mentem gerat in corpore sano, tam optimarum virtutum informatione circa animum, quàm ῥώμῃ κάλλει καὶ ἀρτιότητι circa corpus.

NON eum Medici dignabor nomine, qui ἐμπειρίᾳ ἢ ἀναλογισμῷ solùm nititur, sed qui vtitur ratione philosophicâ, quæ medendi methodum format & dirigit per Indicationem præsidia insinuantem. Temeraria omnis curatio Empiricorum & Methodicorum, tuta & secura eorum qui φιλοσοφωτέρως τὴν τέχνην μετιόντες. Materiam remediorum suppeditat Natura in animalibus, plantis & mineralibus, quæ methodo philosophicâ & medicâ in auxilium hominum conuertuntur. Hanc salutarem medendi viam habet Medicus à Dialectica, & à Physicâ rerum omnium naturalium cognitionem. Partûs tempora, criticorum dierum vires, agendi χρόνον καὶ καιρὸν ἐκ τῆς μετεωρολογίας decerpit, quæ Siderum motu, lumine & influxu inferiora regi docet. Quô in morbis θεῖον ab eo differat quod naturæ est opus, accipit à Metaphysico: & ab eodem fonte ἡ περὶ θεῶν εἴδησις ἐν νόῳ αὐτῷ ἐμπλέκεται. Neque de affectibus ac perturbationibus animi, earumque moderatione absque Morum doctrina quidquam intelligit. Totus & Mathematicis incumbit, seu oculi aurisque actiones, seu pulsus modulos, seu temperamentorum gradus & medicamentorum compositiones expendat. Est sapientia transferenda ad medicinam, & medicina ad sapientiam: ἰητρικὴν σοφίης γὰρ δοκέω ἰητρικῆς ἀδελφὴν καὶ ξύνοικον.

EST in medicò ἐπιστήμη ἀληθής, In Deo αὐτοαλήθεια πάσης τῆς νοερᾶς γνώσεως πηγή. Hæc neque acquisititia in Deo, neque ἐπείσακτος. In Medico disciplinâ & sagaci στοχασμῷ comparatur; dignoscendo homini rimatur ἐγχειρήσει anatomicâ minutissimas quasq; eius partes, quas vt condidit Deus, ita ἀλήπτως perspectas habet. Non indiget κριτηρίῳ sensuum deprehendendis temperamentis, aut φυσιογνωμονίᾳ inclinationibus hominum ediscendis, quibus vtitur Medicus ad rerum facultates inuestigandas, subiectique sui notitiam consequendam. Deus παρ' ἑαυτῷ πάντως νοεῖ. Medicinæ artifex per exteriora interiora cognoscit, & ex oculo tantillâ parte totum hominem capit; legit in vultu & in pilorum coloribus humorum in corpore ἐκτροπὰς καὶ ὑποβολάς, in humoribus temperamenta, & in temperamentis Animi mores: quo affectus genere cor æstuet aut concutiatur pulsu arteriarum agnoscit, & ex manuûm incisuris & articulationibus de vitæ breuitate aut longitudine decernit. Ipsarum regionum statum in extis animalium videt, & in aquarum ventorumque qualitatibus Incolarum ingenia: non vrinis sed fidelissimis signis tam virginitatem quàm grauiditatem exploratas habet, viuentemque ab extincto fœtum in ipso vtero distinguit, oculo mentis perspicaci ac penè diuino.

EST inter arcana diuinitatis futurorum prouidentia, quâ se in artis operibus plurimùm commendat Medicus. ἰατρικὴ καὶ μαντικὴ καὶ πάνυ ξυγγενέες εἰσιν: vtriusque enim artis parens vnus est Deus progenitor noster νούσους προαγορεύων καὶ νοσέοντας ἰώμενος: ex aëris constitutione & tempestatum inæqualitate venturos morbos prædicit, & dum pestem præsentit prudenter auertit optimis præsidijs, non periaptis quæ vana sunt, nec sigillis Talismanicis, quæ superstitiosa. Vel abiecta quæque ac sordida illi sunt prædictionis materies διαχωρήματα, vrinæ, sudores, lacrymæ, sputa, aurium marmorata, arenulæ, sanguinis stillicidia, & omne genus maculæ cutis inquinamenta, & viscerum ἐκβράσματα. ne quidem illi fallax omnino est aut irridenda ὀνειροκριτικὴ & somniorum obseruatio quæ ordinem seruant, ὄνειροι γὰρ θαυματοποιοί. Nihil in arte pusillum, nihil contemnendum; cùm vel subitus ac repetitus rigor, vel intercepti pulsus rythmi, vel σκοτόδινος vertigo magnarum calamitatum sint internuncia: interdum tam certa sunt Medico impendentis morbi quàm præsentis valetudinis argumenta: sic vt Numinis cuiusdam instar æquè fidus augur futurorum habeatur, quàm interpres præsentium.

TVNC præsertim temporis Medicus Deum imitatur, cum est in omnes beneficus, & singulos insigni ac salutari demeretur officio. Hæc est ad æternam gloriam via mortali iuuare mortalem. Quem concedit nobis Deus vsum vitæ ac valetudinis Medicus conseruat, deperditum restituit, nutantem sustinet; Pestem humani generis sterilitatem arcet, & humanam speciem singulare Dei opus non interruptâ propagatione tuetur. Mundus non senescit in hominibus qui auxiliarem medici manum implorant. Sobrietate medicâ vita ad centesimum annum prorogatur, non auro potabili ad aucupium crumenarum ficto, aut alio futilium Chymistarum artificiô. Quot mortalium medico suo salutem debent? quot eius ope rogo exempti? quot elati reuixerunt? ars est DOMINI Medicina, quam de terrâ produxit; quò à Medicis docerentur mortales alium esse superiorem Archiatrum quem imitantur. Agit & in mentem benigna illa sanitatis parens & vindex, quam è delirio reducit in orbitam rationis & sapientiæ: neque segnior est vitiorum correctrix, quàm dux & rectrix virtutum. Si rectè calculum posuero, eximium & optimum imitationis genus est, eo salubri statu quo Deus condidit, hominem seruare.

Est ergo Medicus Philosophus ἰσόθεος.

Proponebat Lutetiæ STEPHANVS BACHOT, Senonicus. A·R·S·H·M·DC·XLVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Maurin.	*M. Claudius Tardy.*	*M. Hugo Chasles.*
M. Iacobus du Val, Præses.	*M. Ioannes Forestier.*	*M. Nicolaus Heliot.*
M. Simon Boulot.	*M. Georgius Ioudouyn.*	*M. Petrus Seguin* Antiq. Schol. Magist.